JEAN RICHEPIN 1849–1926

In honorem Baldelarii novempedalis prosa

Cum vocabulis barbarioe
Jam tabe tinctæ tam varié,
Te cantabo, Baldelarie.

Nam sanie mixtâ spermati,
Quam e profundo stillavisti.
Omninó sumus unguentati.

Et tamen hanc sitimus horam
Quæ novi sœculi in coram
Albescentem dabit auroram.

Idcircò a nobis amaris,
Feminea figura maris,
Dura dulcedo in amaris.

Spineti tui rosa et ros
Nos inebriant totum per os,
Subtiles simul ac Barbaros.

Quisque clamat, quum ostentas cor
Unde fluunt pus flensque liquor :
« Spero, nec non et derelinquor ! »

Hinc cultus ad tuum cadaver
Est andropogon seu vetiver,
Donec ex eo virescat ver.

Interea tenemus altum
Procellosis ventis turbatum ;
Et, quum jam mergimur, surgis tum,

Et per mare tenebrarum fis
Stella poli carminum scaphis
Multicolorum polypsephis.

Quare, deitàs invocanda,
Hâc voce putidâ, luridâ,
Balbutiente singultim, da

Ut te, cum linguâ barbarioe
Jam tabe tinctœ tam varié,
Cantaverim, Baldelarie !